

De cognoscendis mammarum muliebrum morbis :\bdissertatio inauguralis medica ... / auctor Franciscus Gummich.

Contributors

Gummich, Franz.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis, 1837.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ftr4nns>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

5.

DE
COGNOSCENDIS MAMMARUM
MULIEBRIVM MORBIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILIELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIX. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

FRANCISCUS GUMMICH

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

E. SCHULTE, MED. ET CHIR. DD.

O. NAEGELE, MED. ET CHIR. CAND.

CHR. HARPRATH, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

V I R O

**CELEBERRIMO, EXPERIENTISSIMO,
DOCTISSIMO,**

F. L. TRUESTEDT,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI P.
E. IN UNIVERSITATE LITTERARUM FRIDERICA GUILIELMA,
BORUSSORUM REGI A CONSILIIS MEDICIS SUPREMIS IN-
TIMIS, COLLEGI SUPREMI AD REGENDAS RES SACRAS,
MEDICAS ET INSTITUTIONEM PUBLICAM, NEC NON COL-
LEGI EXAMINUM HABENDORUM SUPREMI MEMBRO, IN-
STITUTI POLICLINICI DIRECTORI, ORDINUM REGIO-
RUM DE AQUILA RUBRA ET CRUCE FERREA EQUITI,
COMPLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI
ETC. ETC.

PRAECEPTORI AD CINERES USQUE COLENDO

NEC NON

· F R A T R I

OPTIMO, DILECTISSIMO

CHRISTOPH. GUMMICH,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO
APUD WILLICHENSES,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

IRRITAMENTA ADAUCTA.

Mammarum irritamenta, quae et pro vario vitae gradu et pro variis evolutionis corporis foeminei stadiis varia symptomata inducunt, aut normalia sed debito majora, aut insolita sunt; insident vero vel ductibus lactiferis, vel aliis corporis partibus, vel ipsi animo. Modo si irritamentum grave est, sensus tensionis et punctionis, aut doloris accedit. Secretio lactis augeri, et si defuit, excitari potest; lac vero ipsum quod ad indolem spectat, normale apparet. Mammae justo celerius intumescunt et interdum justo majorem ambitum capessunt. Praecipua irritamenta vim in mammas exserentia sunt: pubertas incipiens, catameniis enim primo fluentibus mammae attolluntur, durescunt (1), inque hemisphaerae formam eminent et tactu duriusculae sunt; porro graviditas et puerperium. Hippocrates (2): »cum autem foetus movetur, inquit, lac de se significationem matri exhibet. Mammae enim attolluntur et papillae turgescunt, neque tamen lac prodit.«— Quae de irritamentis ex puerperio ortis dicenda habeam, omnibus adeo

(1) Dionis. Accouchement p. 117.

(2) De natura pueri. sect. III. p. 241.

sunt nota, ut plura verba de iis facere non oporteat. In multis, quae huc spectant, maximi momenti videtur esse infantum suctio. Non possum, quin hoc loco, quae Hallerus (1) hac de re disseruit, afferam: »neque tamen in mammis castae virginis ideo lac generatur; id ut fiat, stimulo aliquo opus est. Is quidem stimulus in raris nonnullis exemplis fuit suctio, aut temere aut ex necessitate et caritate desertae sobolis, admoti ad ubera pueri. Ejus os papillam et ducendo atque fricando erigit, ut recta nunc sit, et una vasa lactifera plicis productis in rectudinem transeunt. Deinde vi excitati in ore suo spatio minus resistentis, lacti in vasis lactiferis contento viam idem pusio expedit, ut per patulos nunc papillae ductus lac exsiliat.» — Suctione mammas irritari, ita ut lac secernere possint, illud etiam demonstrare videtur, quod ipsi viri mammas pluries per diem praebendo pusiones lactarint. Inter alios Al. ab Humboldt (1) refert, virum nomine Francisco Lozano in pago Arenas, matre defuncta quinque per menses bis terve per diem filiolo suo mammas praebuisse. Alia hujuscemodi exempla relata legere placeat in Aristotelis de histor. animal. lib. III. c. 30. Caeterum irritamenta plura sunt, quam ut omnia enarrare possim. Liceat mihi nonnulla referre. Sunt vero praecipua: castulae, quae quantum damni sexui foemineo parare possint, in omnibus paene libris de mammis conscriptis expositum leges; tum calor aut refrigeratio, pressio, ta-

(1) Elementa physiologiae corpor. human. libr. XXVIII. sect. I. p. 17.

(2) Reise in die Aequinoctial-Gegenden des neuen Continents, Bd. III. p. 58.

ctus, congestio sanguinis, emplastra irritantia perverso loco adhibita, permulta alia.

IRRITABILITAS ADAUCTA.

Variis vitae temporibus, quibus uteri functiones praevalent, irritabilitas mammarum adaucta normalis apparet. Mammae sensum tensionis, nonnunquam doloris rubore atque tumore prorsus deficientibus praebent. Secretio lactis irritabilitate non nimis adaucta et simul congestione accedente uberius est, sed diminuitur tandemque omnino supprimitur, si irritabilitas gravior est atque ad inflammationem propius accedit. Quod autem paratur, lac alienatum, tenue et acre est, ita ut et matri et infanti nocere possit. Hic status saepe refrigeratione, animi pathematis, e. g. ira, evocatur. Ab Ill. Kili an enarratum esse exemplum memini, feminam rixando cum conjuge irritatam soboli mammas praebuisse, quo evenerit, ut mors infantis post bihorium irrueret. Ejusdem generis exempla alia non desunt. Verum enim aliis etiam animi affectionibus, nimia veneris libidine, mammarum irritabilitas ita adaugeri potest, ut v. g. clitoridis tactu, aut titillatione papillae attollantur, et rigidiores fiant. Immo observatur, magno foeminarum pudore simul cum genis et mammas erubescere (1). In puerperio mammarum irritabilitas adaucta saepissime febrem provocat; si vero nimia cum irritatione est conjuncta, in atoniam, quam nunc describemus, transit.

(1) Klees: Ueber die weiblichen Brüste. p. 3.

ATONIA.

Ut varii sunt atoniae gradus, ita et symptomata variant. Mammae collapsae, minime dolentes, frigidae sunt; lac aut omnino deficit, aut congestione simul accedente aquosum et tenue est, atque tam largum, ut sponte profluat. Aegrotata sensu languoris et frigoris, non doloris, ingravescente malo vexatur.

INFLAMMATIO MAMMAE.

Inflammationis symptomata alia in foeminis nutribus et puerperis, alia extra lactationis periodum observantur. Quod attinet sedem morbi, aut glandula ipsa aut cutis et tela cellulosa inflammata est, aut, quod saepissime occurrit, glandulae parenchyma simul cum cute et tela cellulosa afficitur. Quae cum sedis et conditionis aegrotatae diversitas multas symptomatum, decursus et curationis adhibendae varietates proferat, has inflammationis species singulatim pertractandas esse censuimus:

- 1) Inflammationem cutis et telae cellulosaе;
- 2) - glandulae extra lactationis periodum;
- 3) - - intra lact. period.

INFLAMMATIO CUTIS ET TELAE CELLULOSAE.

Cutis et telae cellulosaе inflammatio, a quibusdam auctoribus superficialis nominata, magis minusve erysipelatis symptomata prae se fert: cutis aequabiliter tensa, laevis, splendens, rubra, qui color pressione adhibita evanescit, sublata autem statim redit. Intumescencia laevis longe lateque diffunditur. Dolor non vehemens

quidem, sed pungens, vel urens percipitur; calor manu admota sentitur adauctus. Febris aut adesse aut abesse potest.

Quae inflammatio, quum oritur in lactationis periodo, lactis secretionem interdum, minime semper, aut diminuit aut omnino aufert. Pro mitiori vel vehementiori gradu morbi symptomata aut leviora aut graviora oriuntur. Vehementiori gradu inflammatio non raro ad glandulam ipsam proserpens in suppurationem exit.

Papilla quoque, imprimis in foeminis nutricibus, inflammationis focum sistere potest. Quo in casu propter intumescuntiam et dolorem infanti mammam praebere mater recusat, unde nodus lacteus exoritur, qui causam mastitidis suppeditare potest.

INFLAMMATIO MAMMAE S. MASTITIS EXTRA LACTATIONIS PERIODUM.

Quum inter omnes constet, organon, quod irritabilitatis adauctae signa praebeat, facillime inflammatione corripitur, non miraberis, mammam ante mensium fluxum rarissime, pubertate vero exorta saepissime inflammationi locum praebere. Irritabilitas mammae adaucta etiam signum graviditatis secundum normam decurrentis est, propter quod mastitis etiam hoc in vitae stadio non raro observatur. Per magnum temporis spatium morbus protrahi potest, qui nimis ingravescens magnam propensionem in indurationem et scirrhum et cancerum transeundi ostendit. Symptomata nunquam tam gravia sunt, quam in specie infra describenda. Dolor obtusus, qui saepe tactu adhibito tantummodo sentitur, mitis, inflammatione vero majori vehemens est; circa papillam pruritus

exstat molestus, qui haud raro in vehementes dolores pungentes, ad glandulam ipsam regionesque axillares se extendentes, permutatur. Non multo post mammae, quae tactum non sustinent, tensae valde durescunt; cutis rubedo inflammatoria exoritur; glandulae axillares tumescunt. Tumor plerumque partem tantummodo glandulae occupans exiguus valdeque durus invenitur. Saepe quoque accidit, ut symptomata congestionis sanguinis ad pulmones adauctae appareant, aut, quod melius esse dicitur, cum mammarum affectione alternent.

Haec inflammatio rarius quam in puerperio aut intra lactationis periodum in suppurationem transiens, parvi non aestimanda est eo, quod impetu repetito rebusque noxiis fortuito allatis fundamenta struere potest morborum, qui aut in puerperio aut serius maxima cum vehementia et saevissima atrocitate strenuam medici operam optimamque curationem eluduunt.

INFLAMMATIO MAMMAE INTRA LACTATIONIS PERIODUM.

Unanimi auctorum consensu aut jam in puerperio ipso aut non multo post, mammae inflammatio saepissime observatur. Quod cuiquam vix mirum videbitur; nam ut organismus post partum ad statum eum, quem ante graviditatem obtinuit, reducatur, varii humores lymphatici corpore excernuntur. Non solum uterus lochia evacuando talem secretionem suscipit, sed etiam mammae lac secernendo. Hae igitur irritationi cuidam per se obnoxiae causa quadem occasionali accedente facile inflammantur.

Mastitis in puerperio acutissime decurrere potest,

imprimis tum, cum pridem induratio quaedam adfuit. Tertio quartove puerperii die lactis abundantia nascitur, ita ut mammae valde turgescant et dolore et tensione vix tolerabili afficiantur (1). Integumenta rubedinem modo aequalem modo inaequalem ostendunt; ductus lactiferi ipsi irritati pressione vasa sanguifera infestant. Inflammatio aut partialis aut totalis est, ita ut simul cum glandula cutis et tela cellulosa glandulam ipsam involvens atque ambiens afficiantur. Inflammatio partialis cum dolore, tumore, rubedine passim emergente, maximam partem haud procul a papilla initium capit. Dolor vehemens tactu adhibito augetur; tumor interdum nodosus, inaequalis, durus est; rubedo erysipelacea, lactis secretio non semper oppressa. Febris aut adest, aut abest.

Inflammatio autem totalis omnia symptomata longe vehementiora reddit. Dolor intensior ad glandulas axillares extenditur; in musculis pectoralibus molesta atque vix tolerabilis tensio sentitur. Tumor durissimus, striatus, tensus, inaequalis, tactu mobilis, ex uno vel pluribus tumoribus nodosis, qui in mammae parenchymate resident, constare videtur. Glandulae quoque axillares magis minusve tumescunt. Cutis, quae rubra, aut flava, aut fusca, aut nigra (2) apparet, digito admoto, quo simul calor sentitur, colorem mutat. Rubor, qui plerumque erysipelaceus est, foco inflammationis aut suppurationis penitus abdito omnino deesse, aut, quamvis toto

(1) Cfr. A. ab Haller. l. c. tom. VII. Libr. XXVIII. sect. I. p. 13.

(2) Sponitzer, Ueber Entzündung, Eiterung und Verhärtung der Brüste, vorzüglich der Wöchnerinnen. Hufeland's Journal Bd. VII. St. 2. p. 41.

glandulae parenchymate inflammato, super singularia tantummodo loca se expandere potest, aut denique, quum tela cellulosa simul cum cuti in affectionem vocatur, per totam mammae superficiem extenditur. Creberrime rubor in eo superficiei loco apparet, quo abscessus humorem suum serius effusus est. More solito jam ineunte morbo febris naturae inflammatoriae aut continua aut intermittens adest; pulsus frequens, sitis, dyspnoea, cephalaea eam comitantur(1). Berndt(2) casum memoratu dignum exponit, in quo partialis mastitis, quae in abscessum transiit, maniam puerperalem magna cum coeundi libidine conjunctam et abscessu aperto evanescentem procreavit.— Mitiori inflammationis gradu se- et excretio lactis permanere potest, vehementiori autem utraque supprimitur (3). Si illud accidit, secundum Busch (4) aliosque auctores inflammationis resolutio perfici, sin hoc, plerumque suppuratio non averti potest.

Secundum accuratam morbi descriptionem, quam A. Cooper (5) tradidit, inflammatio primo in stadio adhaesiva, in secundo suppuratoria, in tertio ulcerosa est. Stipari, dicit, inflammationem erysipelaceam tumore doloreque pulsante acutissimo, in loco quodam eminentiam

(1) J. V. Müller, Abhandlung von der Drüsenverhärtung besonders der Brüste. Leipzig 1784. p. 65.

(2) Rust, Handbuch der Chirurgie. Bd. VI. p. 449.

(3) Carus, C. G. Gynaekologie. Bd. II. §. 1582.

(4) Busch, D. W. H. Lehrbuch der Geburtskunde Aufl. 3. Berlin 1836. §. 480.

(5) Illustrations of the diseases of the Breast. London 1829. pars 1. p. 7. sq.

aut minorem aut majorem laevitatemque apparere, tactu adhibito fluctuationem observari; totum corpus irritatione premi, quae horripilatione, quam sequantur calor et largus sudor, manifestetur; denique supra tumoris partem maxime eminentem epidermidem lacerari, corii exulcerationem accedere et per aperturam inde coortam pus emanare.

SUPPURATIO.

Inflammationem telae cellulosae omniumque glandularum ad suppurationem maxime pronam esse, experientia quotidiana docet. Symptomata hunc exitum indicantia tam peculiaria sunt, ut, si adsint, de suppuratione nihil dubitari possit. Dolor enim, qui inflammatione vigente pungens fuit, magis pulsans fit; tumor initio major et durior; in loco cutis maxime prominente fluctuatio tactu non desideratur; sensim color, prius ex rubro subniger, induratione majore et intumescencia adhuc restante livescit; circuitus durities magis minusve emollitur, et maculae flavae oriuntur; locus, ubi fluctuatio sentitur, paulatim magis magisque prominet; pus enim longum per tempus, quin sponte erumpat, vomicis contineri potest. Non multo post abscessus sponte aperitur; quo facto magna puris copia profluit. Puris vero secretio in dies diminuitur, adeo ut denique omnia symptomata morbosa desinant atque abscessus claudatur. Abscessus vero plures in mamma eodem tempore orti symptomata quidem eadem, sed multo vehementiora atque graviora reddunt. Cutis enim abscessus obtegens non est expers doloris; tensio major, color erysipelaecus; pluribus in locis fluctuatio sentitur, major puris

copia emanat, febris augetur. Quo facto mamma collabitur, puris autem excretio longius perdurat, quam in priori casu. Quae de abscessu Boyer (1) nobis tradidit, sunt haecce: »Lorsque l'inflammation doit se déclarer, la douleur, qui d'abord avait été tensive, devient pulsative, les tégumens rougissent; la fièvre, qui avait cessé, se rallume, et l'on voit se former bientôt un ou plusieurs abscess; à la fois ou successivement, près de la peau ou profondément dans l'épaisseur de la mamelle. Ces abscess sont tantôt petits tantôt larges, réunis dans quelques cas, séparés dans d'autres par des cloisons membraneuses.« — Magna puris copia interdum pondere suo deorsum descendit, ita ut in loco quodam inter mammam et musculos pectorales accumuletur. Fieri autem posse, ut in cavitate thoracica accumuletur, quod equidem sciam, nondum comprobarunt. — Fistulae quoque, quibus sanatio in longius tempus protrahitur, supuratione diutius perdurante formari possunt et plerumque ex abscessu praemature aperto vel ex turundis applicatis etc. originem ducunt. Hisce enim rebus adhibitis, inflammatio recens movetur et fistularum parietes marginesque duriores redduntur.

Nota. Exempla singularia, rara tamen ab ill. auctoribus relata legimus, merum lac in tela cellulosa mammam involvente accumulatum fuisse. Quae lactis accumulatio eo existere potest, ut Chelius (2) aliique autores opinantur, quod lac casu quodam fortuito in mammis retineatur, aut ex ruptis aliquot ductibus lactiferis in telam cellulosa abiens tumorem fluctuantem exhibeat.

(1) Traité des maladies chirurgicales et des opérations, qui leur conviennent. Vol. VII. p. 213.

(2) Handbuch der Chirurgie. Bd. II. §. 2132.

Scarpa (1) hujusmodi tumorem intra lactationis periodum exortum vidit ita auctum, ut acu triquetra libr. X. meri lactis evacuetur. Dr. Gardien (2) feminam novit, cui merum lac in loco mammae maxime declivi collectum sponte emanavit, unde vas quoddam lactiferum ruptum esse conclusit. A. Cooper (3) in foemina XXXVIII ann. agent. simile quid observavit. Tumore scalpelli ope inciso meri lactis coagulati cum sero flavido mixti Unc. VI. profluxerunt. Cutis tumorem obtegens non fuit decolor. Alia hujusmodi exempla observata non legimus.

INDURATIO MAMMAE. TUMOR CHRONICUS.

Inflammatione finita glandula ad ambitum fere normalem revertitur; attamen non raro accidit, ut dura maneat. Quae induratio non nisi benigna nominanda est, quod aptis remediis adhibitis breve post tempus evanescit, neque fere unquam in scirrhum, maxime timendum mammae morbum, transit. Symptomata illius benignae indurationis, quae eam ab aliis hujusmodi morbis facile dignosci patiuntur, principalia haec sunt: tumor, qui in foeminis aetate junioribus sanisque saepissime observatur, plerumque superficialis huc illuc moveri potest; duritiem minorem, quam scirrhus, praebet, atque, quamvis aliquantum adaugeri possit, nunquam permagnus fit; processus ad instar striarum, ad regionem axillarem usque discurrentium, minime sentiuntur tactu adhibito sensus percipitur, tanquam singuli glandulae lobuli accrevissent, aut tanquam plures lobuli ad unum eundemque tumorem formandum coiissent. Dolor neque in mamma, neque in humero, neque in brachio ullus; valetudo non mala; glandulae axillares normalem

(1) Opusculi di Chirurgia. t. II.

(2) Dictionnaire des sciences médicales. Vol. VII. p. 479.

(3) Darstellung der Krankheiten der Brust, Bd. I. p. 8.

statum ostendentes. **A. Cooper** (1) in uno tantummodo casu glandulas axillares tumefactas vidit.

Chelius (2), **S. Cooper** (3), **de Houpeville** (4), aliique auctores aliarum indurationum, quae scirrhi faciem prae se tulerunt, mentionem fecerunt. Quae indurationes inflammationem mammae chronicam sequentes infra accuratius describentur.

NODI LACTEI.

Nodi lactei in rarissimis casibus soli telae cellulosae glandulam circumdanti, saepius glandulae ipsi, saepissime vero glandulae ipsi ac telae cellulosae inhaerentes vel breviori vel longiore tempore mediocrem offerunt ambitum. Nodi originem ducunt aut ex graviditate, aut, quod saepius occurrit, ex lactationis periodo, potissimum ex eo tempore, quo foeminae nutrices infanti mammas amplius praebere recusant. Iidem excretionem lactis iterata diminuuntur et muliere iterum praegnante, aut mensibus fluentibus, fere omnino evanescent. Etiam si longius mammae insideant, mulieri modice viventi causis noxiis non accedentibus aut nullam aut parvam molestiam afferunt. Majoris tamen momenti nodi lactei aestimandi sunt ii, qui in mammis foeminarum non amplius concipientium atque ad annos climactericos propius accedentium reperiuntur. In istis enim foeminis nodi, qui prius laeves, rotundi, circumscripti, cum glandula ipsa non concreti, huc illuc

(1) l. c. Bd. I. p. 21.

(2) l. c. Bd. II. §. 2131.

(3) Handbuch der Chirurgie übersetzt von **Froriep.** Weimar 1831. Bd. 1. p. 423.

(4) *La Guérison du Cancer au sein.* Rouen 1793. p. 75.

moveri potuerunt, inaequales, salebrosi, duriores fiunt, atque tela cellulosa indurata cum partibus vicinis conjunguntur. Quod si fit, de degeneratione scirrhusa est cogitandum, quamvis inter omnes constet, nodos lacteos aptis remediis aut potius nullis adhibitis, omnibus vero noxiis vitatis, longissimum per tempus sine ingenti foeminae molestia aut magno detrimento persistere posse. Caeterum etiam notandum est, plures nodos lacteos vel uni vel utrique mammae insidere posse, quo in casu et periculum alias parvum et symptomata augentur atque amplificantur. Nodi lactei aut in resolutionem aut in suppurationem exire possunt. Exitus in suppurationem secundum Murat (1) plerumque supervenit.

TUMOR IRRITABILIS MAMMAE.

Interdum in foeminarum juniorum (XV ad XXX ann. agent.) mammis tumor exiguae magnitudinis observatur, qui circumscriptus dolorem vehementem efficit. Qui dolor tactu aut pressione levissima summopere augetur et a mamma ipsa usque ad regionem axillarem, ad olecranon, imo ad manus digitos extenditur; aegrotam interdum ita torquet, ut nec quietem nec somnum capiat, neque se mammae ipsius pondus amplius sustinere posse, contendat. Dolor, etsi raro, sponte evanescere potest; ante menstruum fluxum autem vehementior esse solet, quam postea. Menstruus fluxus aut irregularis aut nullus est; fluor albus saepissime accedit. Ventriculus quoque irritationis particeps fit, adeo ut vomituritio aut ipse vomitus exstare non nequeat. — Ple-

(1) Dict. des scienc. médic. 1. c. p. 478.

rumque aut in una aut in utraque mamma plures tumores observantur, qui vel pisi vel sclopetariae glandis plumbeae magnitudinem raro superant. Quamquam illi per aliquot annos adesse possint, cutis tamen colorem nunquam mutant ideoque observatoris accuratioris oculos causa non detecta saepe praeterfugiunt. A. Cooper aliique auctores suppurationem intrantem se nunquam vidisse contendunt.

INDURATIONES SCROFULOSAE.

Indurationes scrofulosae circa pubertatem incipientem aut serius existunt, praesertim tum, quum systematis lymphatici functiones educatione perversa, aëris injuriis, diaeta mala, refrigeratione, jamjam alienatae sunt. Foeminae, in quarum mammis nodi scrofulosi observantur, perspicua habitus scrofulosi signa praese ferunt. Semper enim et aliae glandulae lymphaticae tumefactae sunt, vel glandularum affectio exanthematis, e. g. herpete, prurigine, aut blennorrhoea quadam tollitur. Nodi periodice accrescentes aut decrecentes, magis minusve duri, omnino glabri, circumscripti sunt, atque tam prope a superficie plerumque absunt, ut digitis paene prehendi et huc illuc moveri possint. Cutis, quae eos obtegit, non decolor est. Dolor, alias minimus aut fere nullus, pressione quidem non augetur, sed refrigeratione, animi pathematis, aliisque injuriis, quas supra nominavimus, intenditur. Nodi scrofulosi cum dyscrasia scrofulosa universa in sanitatem abeunte, tum graviditate, lactatione, aliisque mammaram mutationibus solvuntur; attamen irritatione majores et duriores reddi possunt, adeo ut scirrhi naturam capessant.

Si in ulcerationem transeunt, secundum Bayle et Cayole (1) maximam carcinomatis similitudinem praebent; margines enim ulceris, cujus fundus granulationem fungosam ostendit, reflexi sunt, periphæria cinerea, venae cutis dilatatae.

Attamen ad diagnosin recte eruendam, ne tumor scrofulosus cum scirrho permutetur, et ætatis et signorum scrofuloseos universae et coloris ratio habenda est; sin haec omnia te deserere videantur, id cogites, morbum remediis antiscrofulosis adhibitis cedere solere.

TUMORES MAMMAE CYSTICI.

Tumores cystici secundum consistentiam materiae, quam continent, ut hujuscemodi omnes aliis organis insidentes, aut atheroma aut meliceris nominantur. Liquor, qui illis inest, aut albidus aut flavidus et majoris minorisve consistentiae apparet. Saccus vero tumoris nihil nisi tela cellulosa est atque a tela cellulosa indurata aut tendineo-fibrosa scirrhi multum differt. Tumores cystici initio parvi, mobiles, molles, longum per tempus dolorem nullum afferunt; plerumque eorum forma rotunda, et superficies aequalis conspicitur, in quo statu totam per vitam versari possunt. Nonnunquam vero sensim majores fiunt, aut cito crescunt, alioque iterum tempore modo non augentur, modo augentur. Fluctuatio obscura tactu sentitur; caeterum cutis non decolor est et sanitas aegrotæ universa non turbata. Tumores minores mammarum functionem nullo modo laedunt, majores vero non hanc tantum, sed etiam brachii motus

(1) Dict. des scienc. méd, vol. III. p. 477.

interdum offendunt et pondere organa adjacentia premunt, ut glandularum lymphaticarum intumescencia provocetur. Neque etiam raro evenit, ut mammae laxiores fiant, aut contabescant. Tumores inflammatione correpti varium exitum praebent; partim enim suppuratione omnino delentur, partim malignum ulcus provocant. Solutio resorptione perfecta, ut *Carus* (1) refert, nunquam expectanda artisque ope rarissime obtinenda est. Utcunque res vertatur, dubium non est, quin tumores cystici forte irritati scirrhi originem foveant.

Tumores cysticos cum uteri functionibus nexum causalem inire, negari nequit; saepe enim inveniuntur in foeminis aetate junioribus, quae quodam menstrui fluxus vitio aut leucorrhoea laborant simulque sinum laxum habent. Irritationes sexuales, Venere negata, in tumoribus gignendis vim non parvam exercent. E contrario interdum sponte evanescent, quum valetudine emendata menses normam sequuntur atque sinus explicari coeptus est.— Tum tumores cysticos oriri in mamma, et quidem in latere, ubi ovarium degenerare coepit, medici observarunt; deinde nasci possunt ex quadam injuria mechanica, ut pressione, ictu, contusione aut cujusdam telae cellulosae partis aut vasis lymphatici (2); tum inveniuntur in foeminis, quarum parentes dyscrasia quadam, arthritide nempe, scrofulosi, syphilide, laboraverant. *Morton* (3) illos tumores, sicuti scrofulosos, ultimam phthi-

(1) l. c. Bd. I. §. 567.

(2) Cf. *Carus*, l. c. Bd. I. §. 563. sq.

(3) *Phthisiologie oder Abhandlung von der Schwindsucht*. Aus dem Lateinischen. Weimar 1780. p. 169. sq.

seos in tertia aut quarta progenie effigiem habendos esse putat.

Materia, quae tumoribus inest, ut supra adnotavi, aut albida, aut flavida est. Attamen substantias variae indolis in illis invenerunt. Otto (1) refert de massa cartilaginea et ossea, de concretionibus lapideis et terreis; Ploucquet (2), Russel (3) de pilis, Pohl (4), Fryer (5) de acubus. Alii alia invenerunt.

LIPOMA, TUMOR ADIPOSUS.

Tumores adiposi in mammis foeminarum, quae parvis nutrimentis aliisque injuriis aut aliquo morbo quasi consumptae subito cibos meliores lautioresque accipiunt, maxime observantur. Qua re pro corpore infirmo nimis multi succi, qui assimilari nequeunt, sed in tela cellulosa cujusdam organi deponuntur, existunt. Unde etiam, quantum ad lipomata in mammis formanda intersit, utrum mater ipsa soboli mammas praebeat, nec ne, perspicue elucet. Chelius (6) menses lipomatis producendis impares esse contendit. Tumor, primo molestiam nullam excitans, sensim adsurgit, tactu mollitiem propriam, tanquam gossypio completus sit, offert. Interdum vero plures tumores, qui seorsim jacentes superficiem mammae gibbosam reddunt, simul oriuntur. Ad magnitudinem quandam eVecti raptim increescere solent, et am-

(1) Handbuch der pathologischen Anatomie des Menschen u. der Thiere. Breslau 1813. p. 241.

(2) Liter. med. digest. cfr. mamma.

(3) Philos. Transact. n. 337.

(4) Loder's Journal für die Chirurgie Bd. III. p. 85.

(5) Med. facts and observat. Lond. 1795. Vol. VIII. n. 8.

(6) l. c. Bd. II. §. 1937.

bitum ingentem nancisci et magnas variasque molestias afferre possunt. A. Cooper (1) ponderis lib. XIV. et $\frac{3}{5}$ x lipoma, quod glandulam totam involverit, se extirpasse narrat. Cutis initio quidem non decolor, erysipelati locum praebere (2), imo ulceratione corripitur potest.

STEATOMA.

Morbus, quem Bell (3) aliique auctores carcinoma mammae hydatides vocant, a Chelio (4) steatoma nominatur. Mihi nomen morbi a Chelio delectum aptius videtur, quia morbus, de quo hic agitur, multis symptomatis a carcinomate longe distat; quod ipse Bell fatetur, dicens: carcinoma mammae hydatides multo longiore tempore crescere, minores dolores aegrotae parare et multo facilius extirpari posse, quam verum carcinoma. Sed utut nomen audiat, dummodo morbus recte dignoscatur. Symptomata, quae infert, principalia haec sunt: mamma majore morbi gradu ingentem et prominentem tumorem oculis exhibet. Tumoris basis, qua thoraci insidet, non eam sistit partem, cujus diametros maxima est, sed baseos circumferentiam angustiore inveniēs, quam si tumoris partem paullo a basi remotam metiaris. Tumor, qui huc illuc moveri potest, neque musculo pectorali adhaeret, neque formam hemisphaericam, sed quadratam, vel angulatam habet; in aliis locis duritiei, in aliis elasticitatis sensum offert; ingentem ambitum obti-

(1) l. c. p. 28.

(2) Cfr. Naumann, E. M., Handbuch der Klinik. Bd. III
2te Abtheilung.

(3) Med. Chir. Transact. Vol. XII. P. 1, p. 213, sq.

(4) l. c. §. 2136.

nere et multos per annos adesse potest, priusquam aut in ulcerationem transit, aut glandulas axillares in consensum morbosum ducit. Papilla retracta non est, sed prominere et normalem colorem praebet. In superficie venae dilatatae sunt; quae dilatatio fortasse tumoris magnitudini respondet. Chelius observavit in mamma mulieris XXX. ann. agent. tumorem, qui novem per annos in sola mamma sine alius organi affectione exstitit. Steatoma, nisi in scirrhum degeneravit, impune extirpari potest. Si extirpatum steatoma accuratius investigas, plures singulares tumores aut conjunctionem plurium majoris minorisve amplitudinis invenies; si hos tumores incidis, non modo solidam carcinomatis texturam reperies, sed etiam strias ligamentosas, quae partim parvulas areolas, partim lineas divergentes formant. Lineae colore albido notantur. In tuberculorum intervallis aut cellulas aut singulares majores sacculos liquore vel seroso, vel gelatinoso, vel sanguinolento quodam impletos videbis. Cellularum ipsarum magnitudo varia apparet.

TUMOR HYDATIDOSUS.

Complures auctores (1) mentionem fecerunt tumorum hydatidosorum, quos A. Cooper accuratius describere conatus est. Qui auctor quatuor species affert:

(1) Cfr. Reil l. c. tab. II, Litt. a,
 Otto l. c. p. 241.
 A. Coop. l. c. p. 9.

- 1) tumorem hydatidosum cellulosum;
- 2) - - - saccatum;
- 3) - - - globosum.

Quas hydatidum tres species benignas, quartam vero malignam auctor nominavit. Quarta species, si eadem non est, quae a Chelio steatoma, a Bellio carcinoma mammae hydatides nominatur, auctoris descriptione, quod scio, hucusque dilucidata non est.

1. Tumor hydatidosus cellulosus.

Mamma sensim sensimque tumescens, primo doloribus omnino caret; post aliquod tempus durescit, neque tactu adhibito fluctuationis sensum praebet. Anni labuntur, quibus mamma paullatim quidem, continuo tamen crescens, denique ingentem ambitum capessit. Tumor initio durus est, ita ut similitudinem tumescentiae chronicae magnam exhibeat. Sed non multo post fluctuatio in uno, pedetentim vero in pluribus locis tactu cognoscitur. Cutis venae varicosae fiunt, mammaque, quamvis valde amplificata, plerumque doloris experta est. Exceptiones tamen existunt; aliae enim aegrotae calorem magnum, aliae in mamma ipsa et regione scapulari dolorem se sentire affirmant. Tumor facile moveri potest, et deorsum a musculo pectorali pendet. Modo tota mamma, modo ejus pars aliqua morbo laborat. Tempore aliquo elapso pars, quae fluctuationem ostendit, inflammatione correpta sponte rumpitur et liquorem serosum consistentiae albuminosae effundit. Apertura ulceris iterum clausa et, tempore aliquo interposito, liquor denuo accumulatur. Ulcerationis tempore excepto, sanitas turbata non est; dolores aut nulli, aut minimi ad-

sunt. Glandulae lymphaticae atque axillares non corripuntur.

2. Tumor hydatidosus saccatus.

Hic tumor, ut A. Cooper (1) ipse dicit, a priori symptomatis certis minime discerni potest; quae ergo de illo dicta sunt, huc etiam spectant. Sectione vero facta, utraque species sibi propriam naturam ostendit.

A scirrho autem differt: durities enim eburnea, dolores lancinantes desunt; aegrotae valetudo non turbatur, glandulae axillares non tumescunt; denique tumor hydatidosus saccatus plerumque majorem ambitum, quam scirrhus, capessit.

3. Tumor hydatidosus globosus.

Tumor hydatidosus globosus ex hydatidibus globosis aut animalculis constat; et quod ad symptomata spectat, non nisi sectione a prioribus speciebus distinguitur.

ANNOT. Quid de hisce hydatidibus notandum sit, utrum revera animalcula sint, nec ne, silentio praetermittam. A. Cooper a sententia, esse revera animalcula, non abhorret, argumentaque offert, cur hoc credat.

SANGUINIS IN MAMMA EXTRAVASATIO.

Morbus, qui cum quoque mensium fluxu redit, magnum uteri cum mammis consensum clare ostendit; oritur enim, mensium profluvio incipiente, sanguinis impetu ad mammas, denotatque effigiem irritabilitatis ultra normam adauctae cum debilitate vasorum sanguinem ferentium.

(1) l. c. pag. 17.

Symptomata praecipua sunt haecce: aegrotae, plerumque ann. XXII. nondum agent., dolores vehementes queruntur, qui tactu valde augentur atque in mammis ipsis ordientes ad latus brachii internum, immo ad digitorum apices usque, extenduntur. Aliquot dies ante mensium fluxum sanguine mamma suffunditur, quo facto macula una, velut ictus mammam laesisset, magna existit. Attamen non multo post plures maculae ambitu vero minori et colore magis fusco in aliis mammae locis spectantur. Sanguis effusus aliquot dies post mensium fluxum sponte evanescit: interdum tamen accidit, ut sanguis, si copia ejus magna est, ad sequentem catameniorum introitum usque maneat. Morbus aegrotae periculum non afferens aptis remediis adhibitis paulatim auferitur.

FUNGUS MEDULLARIS MAMMAE.

Fungus medullaris, si inde ab origine usque ad finem bene observatur, in variis gradibus varia symptomata offert. Fungus sedem aut in mamma ipsa, aut inter mammam et regionem axillarem tenet. Quo loco primum apparet, parvum et rotundum tumorem, vicinis partibus non adhaerentem, praebet. Tumoris superficiem aequalem ac laevem, duritiem minorem, quam scirrhi, cutim non decolorem observamus. Tumor, postquam circuitum majorem obtinuit, mollior fit et cum cuti sensim coalescit; tactu adhibito fluctuationem sentire nobis videtur; color superficiei lividus evadit, venae maxime dilatantur. Dolores, quamvis vehementes, tamen mitiores sunt, quam in scirrho; glandulae axillares raro

tumescunt; papilla retracta non est, cutis rugarum aut cicatricum adaspectum non exhibet. Paulatim cutis tumorem obtegens tenuior facta inflammatur, neque multo post sponte rumpitur. Liquor, qui emanat, sanguinolentus est. Ex apertura orta fungus, qui facile sanguinem edit atque copiam ichoris valde foetentis magnam secernit, emergit. Ulceris margines crassi et quasi constricti sunt, unde evenit, ut longum fungi collum formetur. Morbi decursus et reactio in totum corpus, quam in scirrho, vulgo rapidior est. Fungus medullaris omnibus vitae aetatibus, creberrime tamen in foeminis, quae XXX ann. jam excesserunt, observatus est.

ANNOT. Iis, quos hucusque describere conati sumus, tumoribus exceptis, aliae aliis temporibus massae in mammis observantur. A. Cooper (1) enim tumorem cartilaginei et ossei descriptionem nobis tradidit; hujusmodi alia exempla dederunt Otto (2), Morgagni (3) alique auctores. cfr. Ephemerid. medico-physic. german. acad. natur. curios. Decad. II. Ann. VI. Observ. 210.— Alb. ab Haller (4) calculorum mentionem faciens: vidi, inquit, lacteum in mammis calculum, curvum, ductus lactiferi figuram exprimentem.

SCIRRHUS ET CARCINOMA MAMMAE.

Scirrhus mammae plerumque ea foeminae aetate observatur, qua functiones uteri desinere coeperunt. Quam observationem Hartmann (5) nonnullis verbis affirmare videtur, dicens:

(1) l. c. p. 27.

(2) l. c.

(3) Epist. libr. 44.

(4) l. c. tom. VII. libr. XXVIII. p. 43.

(5) Ph. Ø. Hartmann, Theoria morbi. Vindobon. 1828. p. 337. seq.

»Ad annos tandem climactericos progressa foemina novam experitur in corpore revolutionem. Decrescente enim paulatim in organis genitalibus vita plastica et cessante menstruo fluxu, nisus plasticus in reliquo corpore vigens, cui ea, quae producit, ultra hujus limites proferre denegatur, intro nunc magis revertitur, ubi, cum nihil normale ulterius formandum et perficiendum occurrit, neque ob moderatam vitam irritabilem et sensiferam tanta restauratione opus est, otium illi et locus conceditur, in procreandis materiis superfluis, adpendicibus organicis et parasitis sese exercendi. Nam praeter vitia ex abnormi sanguinis congestione ad varias corporis partes oriunda, quae hoc tempore foeminam frequentius infestant, major simul ad scirrhum, cancrum, polypum, tumores cysticos et alias ejusmodi progenies spurias proclivitas in eadem observatur.« — Ad hanc a variis scriptoribus prolata sententiam, tumores cujusque generis, qui jam prius in mamma adfuerint, cessante fluxu menstruo in scirrhum transire, A. Cooper (1) accedit: tumores indolis benignae, ait, si in mammis adsint, cessante fluxu mensium infaustam mutationem pati naturamque scirrhosam assequi posse. Quam sententiam Chelius (2), Carus (3), Boyer (4), Winter (5), aliique confirmant. Pearson vero et Abernethy (6), tumores, qui scirrhosi non sint, in scirrhum verum mu-

(1) Lancet. Vol. II. p. 376.

(2) l. c. Bd. II. §. 2089.

(3) l. c. Bd. I. §. 576.

(4) l. c. Vol. VII. p. 221.

(5) Siebold's Chiron. Bd. II. St. 3. p. 604. sq.

(6) Surgical Works. Vol. II. p. 87.

tari posse, negant. Utra opinionum vera, utra falsa sit, hic non dirimam. Hoc tamen certum est, scirrhum secundum ill. auctorum observationes in mamma foeminarum proveciori aetate saepissime inveniri, imprimis tum quum tumor aliquis jam antea adsuerit. Minima natu foemina, in cujus mamma cancerum A. Cooper observavit, XXVII annos habuit, alia foemina XXIX annos; quibus acceptis auctor in foeminis, quae XXX ann. nondum egerunt, nunquam morbum vidit. Aetatem vero summam, qua idem morbum observavit, mulier LXXXVI ann. agens habuit.

Omniū morborum in glandula mammali obvenientium et gravissimum et pessimum maximeque timendum esse cum, qui vulgo scirrhus nominatur, quis amplius dubitet? Scirrhus ex tumore parvo, duro, circumscripto, mobili, originem ducit. Tempore primo, quo ille existit, cutis color nondum est mutatus. Tumor muliere insecia longum per tempus exstare potest, et si forte animadvertitur, ex contusione aut pressione, aut ictu quodam derivari solet. Saepe vero accidit, ut causa tumoris orti detegi nequeat. Tumor quo major, eo durior, salebrosior fit. Paulatim plures, qui cum priori telae cellulosaе induratae striis et inter se coalescunt, tumores existunt. Quod si fit, illi, qui regionem axillarem versus extenduntur, moveri amplius nequeunt, cum glandulaque ipsa mammali concresecunt. Cutis, qua teguntur, tensa, colorem sublivido-rubicundum induit, pariterque cum glandula coalescit. Glandula moveri nequit, quum degeneratio fundum petens omnia vicina organa implicare studeat. Glandulae cutis sebaceae massa quadam nigra implentur. Striae coeruleae, quae venis pellucentibus

ac dilatatis efficiuntur, circa mammam affectam animadvertuntur. Verum enim vero maximi momenti sunt aestimandae mutationes papillae. Quae enim non solum contracta atque ad erectiones idonea amplius non est, sed omnino retracta, quasi in morbi vorticem depressa, apparet. Aegrotata queritur de dolore aut perpetuo urente, aut intermittente, tumorem quasi perstringente, quem medici lancinantem nominant. Qui dolor pressione quidem non augetur, sed crebro ad scapulam usque et brachium extenditur. Malum longius per tempus protractum habitu summe cachectico demum magis magisque perspicue manifestatur. Exorto cancro aperto, symptomata teterrima omne dubium quod ad diagnosin fugant. Ulcus ad omnia latera sensim extenditur; ejus margines sublividi, rubicundi, eburnei, splendentes, reflexi apparent; fundus inaequalis, salebrosus, facile sanguinem mittit; sanies ab ulcere secreta valde foetet, atque omnia, quae adjacent, delet. Glandulae axillares nec non circa claviculam et collum jacentes tumescunt, etiamsi, ulcere non exorto, normalem magnitudinem occupare potuerint.

Quin hoc tam gravi et pernicioso morbo aegrotatae valetudo maxime debilitetur, aut potius omnino evertatur, non dubium est: attamen hac de re infra copiosius dicetur.

Charles Bell (1) de morbo, qui solito more scirrhus audit, tam copiose accurateque locutus est, ut ea,

(1) Medico-chirurgica transactions published by the Medical and Chirurgical society of London. Vol. XII. p. 1. 2.

Cfr. Göttinger gelehrter Anzeiger 1823. St. 99. 21. Jun.

quae dixit, brevibus hic afferre magni aestimaverim. Ordinem, quem ille persecutus est, etiam hic ego sequar.

CARCINOMA MAMMAE.

Morbus, qui optime cognosci potest, in foeminis VL ann. agent. velocius, quam in iis, quae jam LX aut LXX annos natae sunt, decurrit. In foeminis senioribus carcinomate laborantibus unus tumor, vel duo minores, durissimi, eburnei, qui cum mamma evanida et musculo pectorali coaluerunt, observantur. Cutis tumoribus firmiter adhaerens superficiem nigroflavidam et multis venis dilatatis obtectam ostendit. Qui duri tumores longum per tempus in uno eodemque statu versantes superficiem coloris erysipelacei, parca cum ulceratione, habent. Immo ulceratio evanescere, et tumor, si morbus quidam alius incrementa faciat, quasi iners esse potest. Aegrotata feбри hectica, conjuncta cum doloribus in inferiori medullae spinalis parte, in regione inguinali et scapulari sedem habentibus, maximo gradu debilitatur.

Carcinoma verum ad vitae periodum, qua functiones uteri cessare solent, pertinens hocce modo se manifestat: menstruus fluxus et tempore et quantitate vitatur. Longis temporis spatiis elapsis mensium fluxus majorem, quam oportet, sanguinis copiam edit; aliae et aliae functiones turbantur. Durities tumoris mammae, tensione parum cedente, partim manet et paulatim per totam mammam expanditur. Mamma, quae maxime dolet, tuberculis quasi obruitur, et nodosa et irregularis fit. Venae coeruleae tumescunt; vires aegrotae tabescunt. Papilla retracta, quae interdum sanguinem mittit, erigi non pot-

est. Cutis et papilla cum substantia subjecta cohaeret; glandulae axillares tumefactae sunt.

Origo veri carcinomatis variat. — In inferiori mammae parte tumor parvus, durissimus sentitur; qui, utrum pars glandulae ipsius sit, nec ne, dignosci nequit. Tumor vehementes dolores parans cuti adpropinquatur, quacum paulatim concrescit; cutis decoloratur et in superficie humectatur; quod si fit, ulceratio non amplius procul abest. Ulceris fundus saniem secernit et sphaecelosus apparet, ejus status constitutioni universali respondet. Ulceris margines durissimi, coloris rubro-subnigri, laeves sunt, convoluti, quasi in tumorem inversi. Ulcus, si a latere premitur, aperitur rimamque profundam cum marginibus acutis et proclivibus offert. Durities totius mammae eburnea tactu sentitur; mamma ipsa musculo pectorali firmissime adhaeret. —

Scirrhus quidem ex mamma originem ducere potest, sed omnia vicina organa quasi in se suscipere studet. Tubercula, quae etiam circa collum aliaque loca reperiuntur, in mammae cuti et circa papillam cernuntur. Quae tubercula dolent, primo rubro sunt colore, postea flavido, atque in media parte pellucida, neque mutationem, priusquam in ulcus rodens transeunt, ostendunt.

Ejusdem morbi forma est firmissimus, in mamma prominens, nodulis obrutus tumor, qui elasticitate caret, sed lateribus adhaerens duritiem lapideam praebet. Tumoris superficies granulis oblecta, coloris rubro-nigri, aut potius nigricantis, peripheria vero coerulea est. Postea tumor ulceratur et magnam sanguinis copiam effundit. Granula plura et infra cutem et circa sternum et

claviculas existunt. Effusio liquoris in cavum thoracis in morbi decursu cum hac forma se conjungere solet.

CANCER APERTUS.

Bell describens cancrum apertum ad fallacem morbi speciem attentos nos reddit. Mamma eousque nunquam ulcerata tumescit, paulatim mollior fit et magis acuminatur, demum ulceratione corripitur. Qui processus, quum abscessus scrofulosi similis sit, medicum adeo fallere potest, ut dubitet morbum tam malignae indolis esse, quam initio putaverit; attamen profunda et sphacelosa ulceratio oculis tunc se manifestat. Partes circa ulcus jacentes duriores fiunt et granulis obteguntur; margines ulceris reflectuntur.

Habitus externi diversitas cancri aperti magni aestimanda est. Morbus enim localis duplici modo progreditur, aut ulceratione, aut necrosi et sphacelo. Symptomata igitur ulceris mirifice variare possunt: v. g. diu symptomata mitiora, pus benignae naturae adsunt; aliquo mane autem mamma dolet et tumefacta est, pus tenue et rodens aut saltem acre secernitur. Ulceris margines velut abscissi, rubre flammeo sunt, fundus sphacelosus. Interdum quoque accidit, ut ulcus quidem depuretur et cicatrice obducatur, omninoque sanetur, cutis vero lactae colore ad statum sanum non reducatur, partesque subditae durissimae et irregulares maneant. Ulceris character hocce modo se manifestat: cutis scirrhus ad cancrum apertum vergente tumori adhaerere coepit, tenuior fit, colorisque e nigro-flavidi. Dolores lancinantes semper semperque ad summum evehuntur gradum et suppuratio imperfecta, quae in ulcus profundum transit,

accedit. Secretio maligna, cinerea, ulceris fundum obtegit; margines reflexi colore flammeo, cutis eburnea, multis granulis oblecta est.

Aegrotae valetudo cito pede in pejus ruit. Febris hectica sequitur, corpus emaciatur et gravissimi morbi symptomata offert. Aegrota se languidam sentit, fit tristis et moesta et exhauriri incipit. Faciei color pallidus, paululum livet; labia alaeque nasi coerulea; in mamma ulcerata durissima dolores atrocissimi, pungentes, lancinantes; in superficie nuda urentes, maximeque molesti oriuntur. Dolores similes iis, qui rheumatismo excitantur, per totum corpus, imprimis vero supra dorsum inferioremque medullae spinalis partem diffusi sentiuntur. Glandulae lymphaticae proxime a mamma affecta jacentes tumescunt; brachium vehementer dolet et intumescit; denique nausea apparet et appetitus ciborum minuitur. De tussi titillante aegrota queritur, de doloribus pungentibus lateris. Pulsus frequentissimus et celer; corporis superficies ad instar funeris; respiratio anxiosa, sitis, insomnia, sudores nocturni, aliaque colliquationis signa vires aegrae conficiunt. Hoc sub statu aegrota per dies vitam miserrimam degit, donec tandem viribus plane exhaustis mors morbum cum vita aufert.

TUMOR MAMMAE ACUTUS CARCINOMATOSUS.

Ch. Bell morbum, quem carcinoma acutum nominat, propter decursus celeritatem et symptomatum vehementiam a caeteris morbis discernit. Initium capit morbus ex tumore vel nucleo duro, qui in mamma residet. Tumor primo huc illuc moveri potest, mensibus autem uno vel duobus elapsis cuti jam decolori adhaeret. Tota mam-

ma durescit, pars tamen quaedam coloris purpurei prae caeteris prominet. Superficies splendida et elastica est, dolor vehemens et pungens, ut in panaritio. Mamma variis in locis tumescit, quare salebrosa videtur. Glandulae sebaceae tumescunt; in superficie cutis parvae albae maculae apparent, quae eodem gradu, quo tumor crescit, distinctius emicant. Ex loco maxime prominente liquor quidam stillare incipit, suppuratio vero non intrat. Rubore vehementibusque doloribus adactis tumor cito crescit. Facies aegrotae anxietatem nunciat; color fit pallidus, macies universalis et animi dejectio subintrant. Tubercula cutis, quae jamjam majorem ambitum obtinuerunt, nigro colore fiunt et rumpuntur; primo parum sanguinis, postea seri, emittunt. Saepe tota superficies magnum per circuitum in sphacelum transit, quo facto mamma alte excavatur. Ulcus cavatum irregulare, nigricans apparet, valdeque foetet. Margines prominent, tuberculis quasi serti sunt, omnia latera versus expanduntur et ad spectum cancri aperti terribilem offerunt. Morbus plurium horum tuberculorum enecatione in longius tempus protrahitur.

CANCER IN AREOLA INCIPIENS.

Morbo incipiente glandulae in areola jacentes tumescunt et in ulcerationem transeunt. Papilla quoque corripitur et ulceratione deletur. Zona cutis decoloratae quaedam locum ulceratum cingit. Mamma ipsa plena, rotunda et elastica tactu sentitur; partes ambientes non affectae sunt. Ex ulcere excrescentiae fungosae emergunt, quae deletae iterum iterumque progerminant. Quae excrescentiae si majores fiunt, mollem fungum, multis vasis instructum, formant doloremque pulsantem mam-

mae efficiunt. Deletis excrescentiis irritatio quidem mammae evanescit, serius ocius vero symptomata existunt, quae totum corpus morbo correptum esse indicant. Aegrotans, etiamsi mitiori morbi gradu, macie universa, doloribus dirissimis, febricitans hectica consumpta tandem moritur.

TUMOR PUNGOSUS MAMMAE ACUTUS.

Tumoris, qui tota in mamma sedem habet, basis dura firmissime musculo pectorali adhaeret; ejusque superficies colore purpureo est. In tribus quatuorve locis tumor ulcerationem subire videtur et denique, liquore nullo effuso, rumpitur. Quo facto substantia mollis, fungosa, sanguinem edens cernitur. Dolor est vehemens, pulsans, urens. Aegrotans viribus paulatim privatur, pallida, flaccida, hectica fit, quibus symptomatis auctis diem supremum obit.

CANCER IN PAPILLA INCIPIENS.

In papillae radice tumor rotundus, qui nullum quidem dolorem affert, attamen durissimus atque in superficie salebrosus sentitur, existit. Dolores vero tumore crescente lancinantes evadunt et ad regionem scapularum extenduntur. Papilla ulcerari incipit neque multo post crusta subflava obtegitur. Crusta sponte solvitur, alia vero existit, donec tandem ulceratio major, quae papillam delet, subintrat. Ulcus per majorem papillae ambitum expanditur; dolores vehementiores fiunt, sed tactu non augentur. Plures parvae crustulae paulatim formari incipiunt; ulcus saniem secernit interdumque sanguinem edit. Glandulae axillares tumescunt. Quae et alia symptomata mortis periculum, quod imminet aegrotanti, indicant.

V I T A.

Natus ego sum **Franciscus Gummich** Essendiae, provinciae Rhenanae urbe, Nonis Juniis ann. MDCCCXII. patre **Joanne Gummich**, quem adhuc incolumem summa pietate veneror, matre **Gertrude** e gente **Dresbach**, quam carissimam annis abhinc octo proh dolor! mors mihi abstulit. Fidem profiteor catholicam. Primis litterarum elementis imbutus, gymnasium, quod Essendiae rectore **Savels** floret, per octo annos frequentavi. Maturitatis testimonio instructus universitatem Rhenanam petii, ibique a rectore magnifico **Brandis** in civium academicorum numerum receptus, apud medicorum gratiosi ordinis Decanum spectatissimum nomen professorus, per sex semestria has frequentavi praelectiones:

I. Philosophicas: botanice generalem et systema plantarum naturale me docuit **Ill. Treviranus**; mineralogiam **Ill. Noeggerath**; chemiam experimentalem **Ill. G. Bischoff**; zoologiam et zootomiam **Ill. Goldfuss**; physice experimentalem **Beat. a Muenchow**; logicen et psychologiam **Ill. van Calker**; anthropologiam **Ill. Nasse**.

II. Medicas: encyclopaediam et methodologiam artis medicae, semioticen, doctrinam de morbis syphiliticis mihi tradidit **Cel. Albers**; anatomiam generalem, specialem, comparatam **Ill. Mayer** et **Cel. Weber**, qui viri duces mihi quoque fuere in cadaveribus secandis; diaetetice **Ill. Ennemoser**; physiologiam et pathologiam generalem **Cel. Windischmann**; artem formulas concinnandi **Ill. E. Bischoff**; therapiam generalem et specialem **Ill. Nasse**. De therapia speciali etiam disserentem auctorem, divi **Ill. Naumann**. Scholis interfui de chirurgia, de operationibus chirurgicis, de oculorum morbis, de anatomia chirurgica **Ill. Wutzer**; de anatomia pathologica, de fracturis et luxationibus **Cel. Nasse**; de arte obstetricia et de instrumentis ejusdem artis, de morbis infantum **Ill. Kilian**,

In practicis exercitationibus duces mihi fuere in clinico pro-
paedeutico et therapeutico Ill. Nasse cum filio; in clinico chirur-
gico et ophthalmiatrico Ill. Wutzer.

Auctumno anni MDCCCXXXVII. ad hanc almam musarum
sedem me contuli et ab rectore t. t. magnifico Busch in al-
bum receptus et a decano h. t. spectatissimo Wagner facultati
medicae adscriptus sum. Inde ab eo tempore praeceptoribus ga-
visus sum: Ill. Mueller et Ill. Schlemm in cadaveribus se-
candis; Ill. Wagner h. t. decano spectatissimo de medicina fo-
rensi; Exper. Troschel de fasciis applicandis. Scholis clinicis
interfui virorum illustrissimorum et celeberrimorum Truustedt,
de Graefe, Busch, Rust.

Jam nihil antiquius habeo, quam ut praeceptoribus praestan-
tissimis, quos omnes maxime colo, meritas grates persolvam.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico nec non
examine riguroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis,
spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis, summi in me-
dicina et chirurgia honores in me conferantur.

T H E S E S.

1. Generatio aequivoca negari nequit.
 2. Mammam carcinomate correptam extirpare non licet.
 3. In ulceribus curandis maxime dyscrasiam esse respiciendam,
contendo.
 4. Medicus venenis non utitur.
-